

Fabella de asino et de eius umbra

Quomodo Demosthenes Athenienses docuerit

Demosthenes, causam orans¹, cum iudices parum attentos videret, «Paulisper» inquit «aures mihi praebete; rem vobis novam et iucundam narrabo». Cum aures arrexissent², «Iuvenis» inquit «quidam asinum conduxerat³, quo Athenis Megaram profecturus uteretur. Cistellas⁴ in itinere, cum sol ureret neque esset umbraculum⁵, deposuit et sub asino consedit⁶, cuius umbra tegetur. Id vero agaso⁷ vetabat, clamans asinum locatum esse, non umbram asini. Alter cum contra contenderet, tandem in ius ambulans⁸». Haec locutus, Demosthenes, ubi homines arrectis auribus⁹ auscultantes vidit, abiit. Tum revocatus a iudicibus rogatusque ut reliquam fabulam narraret, «Quid» inquit «de asini umbra libet audire neque causam hominis de vita periclitantis¹⁰ audiebatis?».

(Ivana Milani)

¹ Causam orare, perorare = causam dicere ante iudices

² Aures arrigere = aures intendere, tendere

³ Conduco, is, duxi, ductum ere = emere aliquid pro tempore

⁴ Cistella, ae = parva cista, “cesta, cestello”

⁵ Umbraculum, i = locus umbra opertus

⁶ Consideo, es, sedi, sessum, ere = sidere, iacere

⁷ Agaso, onis = asini dominus, qui conducit/locat asinum

⁸ In ius ambulare = in iudicium, ante iudices ire

⁹ Arrectis auribus = attentis auribus > attente

¹⁰ Hominis de vita periclitantis = hominis qui est in periculo mortis